

GULIELMI PISONIS  
MEDICI AMSTELÆDAMENSIS  
DE  
INDIÆ UTRIUSQUE  
RE NATURALI ET MEDICA

LIBRI QUATORDECIM,  
Quorum contenta pagina sequens  
exhibet.



AMSTELÆDAMI,  
Apud Ludovicum et Danielem  
ELZEVIROS.  
A. MDCLVIII.



# A V T O R E S E T T I T V L I

Librorum, qui hoc Volumine  
exhibentur.

## G V L I E L M I P I S O N I S, Medici Amstelædamensis,

- I. De Aëribus, Aquis, & Locis.
- II. De Natura & cura Morborum, Occidentali Indiæ, imprimis Brasiliæ, familiarium.
- III. De Animalibus, aquatilibus, volatilibus, & terrestribus, edulibus.
- IV. De Arboribus, fructibus, & herbis medicis, atque alimentariis, nascentibus in Brasilia & regionibus vicinis.
- V. De Noxiis & venenatis, eorumque Antidotis. Quibus insertæ sunt Animalium quorundam vivæ sectiones; Tum & aliquot Metamorphoses Insectorum.
- VI. Mantissa aromatica &c. Posita post Bontii tractatus.

## G E O R G I I M A R G R A V I I De Piepstadt

- I. Tractatus Topographicus & Meteorologicus Brasiliæ, cum Observatione Eclipsis Solaris.
- II. Commentarius de Brasiliensium & Chilensium indole ac lingua &c.

## I A C O B I B O N T I I, Bataviæ in majore Java novæ Medici ordinarii,

- I. De Conservanda valetudine.
- II. Methodus medendi.
- III. Observationes in cadaveribus.
- IV. Notæ in Garciam ab Orta.
- V. Historia Animalium. } Quibus sparsim inseruit G. P I S O Annotationes & Additiones quæ icones atque res necessarias.
- VI. Historia Plantarum. }

SENECA: *Veniet tempus, quo ista, quæ nunc latent, in lucem dies extrahet, & longioris ævi diligentia.*



## HISTORIÆ

## NATURALIS &amp; MEDICÆ

## LIBER QUINTVS,

## De Quadrupedibus, Avibus, &amp; Piscibus.

*Quæ nova fertilibus progignat Semina Terris,*

*Et quidquid pandat divite Iava sinus:*

*Et queis vicinum natitetur Piscibus Æquor:*

*Quæ vacuum pennis Aëra pulset Avis:*

*Et quis squamiferis proserpat in orbibus Anguis:*

*Densa Feras umbra quas quoque Silva tegat.*

*Hesperidum & pulcros vis contemplarier Hortos?*

*Me lege, & electo Codice doctus abi.*

## CAPVT I.

*De Abada, sive Rhinocerote.*

Arcias ab Orta, Medicus Proregis Goënsis, Lib. 1. Aromatum, cap. 68, confitetur, se nunquam conspexisse Rhinocerotem. Ego eum vel millies vidi, tam cavea inclusum, quam aliquando in silvis ad pasturam euntem: Quantum igitur in me est, hoc animal ad vivum hic describam, ut pictorum error eluceat, qui illud scutatatum, & squamis obsitum, ob oculos ponunt. Cute est è nigro cinericea, qualis color etiam conspicitur in Elephantis, & Bubalis Indicis: glabro est corpore, vel paucissimis pilis obsito: cutis porro rugosa plane est, & plicis superinducta, quæ scuta & clypeos istos mentiuntur, quos ipsi pictores affingunt, sed revera pellis eorum, ut aliorum animalium, non est discreta, sed continua; Corium autem tam crassum est, ut machæra Iaponica illud vix disseccare quis valeat. Rostro est Suillo, non tamen tam obtuso, sed acutiore, & super foraminibus narium, id tam famosum Cornu conspicitur, unde lingua Græca etiam hæc Bellua nomen sortitur. Colore id Cornu plerumque est nigro, sæpe cinericeo, aliquando, licet rarius, albo, quod etiam multo carius, quam reliqua, venditur.

Magnitudine Rhinoceros & corporis mole facile Elephantem æquat, sed pedibus brevioribus non tam conspicuum animal ostendunt. Quoad naturam Rhinocerotis, innoxium est, nisi lacessitum; sed tum crudelissimum est, non solum in ipsos qui eum offendunt, sed in quæque obvia, arbores totas prosternendo cum ingenti fragore: quod scite Martialis expressit lib. 1. Epigramm. 22, hisce versibus:

*Sollicitant pavidum Rhinocerotem magistri,*

*Seque diu magna colligit ira fera,*

*Desperabantur promissi prælia Martis,*


*Sed tamen is rediit cognitus ante furor;*

*Namque gravem gemino Cornu sic extulit Vrsum,*

*Lactat ut impositas Taurus in astra pilas.*



## RHINOCEROS.



## CRANIUM RHINOCEROTIS.



Idem Martialis id eod. lib. Epigr. 9, adhuc clarius enarrat, hisce versibus, quibus (prout tum crudelia tempora erant) Domitiano adulatur:

*Præstitit exhibitus tota tibi, Caesar, arena,*

*Quæ non promisit prælia Rhinoceros,*

*O! quam terribiles exarsit pronus in iras!*

*Quantus erat cornu, cui pila taurus erat!*

Vbi porro hominem prostravit, asperrima sua lingua illum lingendo enecat, tum cutem & subjectam carnem abrasit usque ad ossa; hinc etiam spinis ac vepribus libentissime vescitur;

*Lingua vivum occidit lambendo Rhinocerotis,*

*Aulica falsidici sic quoque lingua necat.*

Animal hoc, crudivorum non est, ut Tigris, de cujus amicitia cum Rhinocerote proxime agemus: Cæterum de irritatæ bestię furore aliquid addam, quod nuperrime accidit Secretario nostræ Civitatis Theodoro Lemmingio, qui cum nuper duobus aliis comitatus eques in silvam exiisset exspatiatum, in paludoso loco in Rhinocerotem cum catulo suo incidit (nam hoc animal non secus cœno, quam Porci & Apri, libenter volutatur) qui illis visis surrexit, ac tarde recedens præ se agebat catulum suum silvam versus, qui cum lasciviens aliquando restaret, mater ipsum rostro protrudebat. Interea quidam ex eorum consortio præ temeritate, equo insidens, belluam in-



sequitur, & exerta machæra, quam gerebat, Iaponica, posteriores partes Rhinocerotis ferit, sed ictibus non penetrantibus, propter cutis crassitiam, aliquot striæ albæ in tergo & natibus bestię apparebant. Quod patientissime Bellua ferebat, quousque Catulum suum inter vepres & salicta, occulisset, tum enim repente conversa in equitem nostrum, cum immani grunnitu, & stridore, ejus caligis mordicus apprehensis, eas mordicus discerpit, materia levi, utpote Bombycina, sequenti, alioqui plane actum de eo fuisset: sed equus forte prudentior aliquanto suo rectore, retro salit, & in fugam convertitur, insequente ipsos omni vi Rhinocero, prosternendo cum horribili fragore arbores, & quicquid obvium ipsi impedimento esset. Dum noster eques devenit in eum locum, ubi socios reliquerat, quibus visis, Rhinoceros, eo derelicto, alios impetit, qui furorem belluæ declinantes, post duas ingentes arbores se abscondiderant, vix duos pedes intermedia rima à se invicem distantes, & sive hoc felici eorum fato, seu stupore huic animali ingenito, evenerit, bestia solummodo per istam rimam summo conatu sibi viam quærebat, & arbores, non secus ac arundines, tremere faciebat; sed tamen crassities earum, frontis ipsius impetum infrungebat. Interim dabatur eis locus Sclopeta sua explodendi (quæ propter latrones Iavanos, ibi tum temporis vagantes, unicuique gerere mos erat) & belluam adactis aliquot ictibus per cerebrum ferendi, & sic bestiam immanem prostravere, suppetias ferentibus Mauris servis, qui istuc à dominis suis lignatum missi erant, qui animal hoc porro dolonibus, & securibus contrucidavere: Sed hoc erat vere excitare Crabrones. Porro, ut cum Plinio finiam, is refert lib. natural. histor. 8, cap. 20, hæc verba: Pompeius primum Rhinocerotem Romæ in spectaculis suis & ludis exhibuit, dicitque porro longitudine fere Elephanto esse parem: Sed crura ipsi longe esse breviora, inde quoque non tam conspicuum est animal, quam Elephas, qui altis pedibus, & cruribus insistit.

Quidquid de Elephantum docilitate dicitur, verum est: ac desino, si prius Plinii & Æliani errores detexero, qui inflexibiles pedes, & crura sine flexuris Elephantibus habere scribunt, quod adeo falsum est: nam præterquam quod homines tantum circa crura ac femora, articulationes habeant, Elephantibus præterea flexuræ in medio tibiæ sunt. Proboscide porro (ut bene Plautus) tanquam manu utuntur in cibo capiendo, & ea in os ingerunt. In Iava, quod sciam, non producuntur, sed quidem multi & magni in Sumatra, quæ nobis è regione in conspectu jacet.

ANNOTATIO. Quia autem graphice depinxit Autor celebrem hunc Rhinocerotem, & non nisi cranii à trunco avulsi iconem exhibuit. Operæ pretium duxi totius animalis picturam acquirere, ut posthac simul errandi occasio auferatur. Quapropter elegantem & genuinam hanc belluæ effigiem ad vivum in Indiis depictam favore præstantissimi Viri, Ioannis Wtenbogaert, in Amstelodamo Hollandiæ Quæstoris, hic offero. Cæterum non indignum quoque notatu, quod in dissectione capitis in cerebro repertus sit lapis, ann 1630, huc ex Iava allatus: Visu non imbellis, tactu admodum glaber, durus, ponderosus, uncias circa duas pendens; pollicem fere longus, gibbosus, renisque Porcelli figuræ æmulus, utraque extremitate obtusus, exterius coloris coracini, interius ex spadiceo undulatus: de cuius usu altum mihi silentium, donec qualitates penitus per experientiam revelatæ fuerint.


## C A P V T I I.

### De Tigride.

Quoniam Tigris in patria nostra, magis fama, ac scriptis veterum innotuit, quam visu, & quia multa de hac ferocissima Bestia, veritati minus consona feruntur, ego propter viciniam, quæ nobis, quamvis invitis, cum hac fera intercedit, eam paulo exactius describam. Primum itaque quod Plinius disertis verbis ait lib. 8. Natur. Histor. cap. 18, quod Tigris sit animal tremendæ velocitatis, manifestus in eo est error: nam è contra bestia tardigrada est, & propter eam causam magis homines appetit, quam carnem Bubalorum, Cervorum, & Aprorum, & reliquorum animalium, quæ hic passim in Sylvis, ut feræ, vagantur. Tum Tauros, & Vitulos feros reticeo, quorum in Insula Iava ingens est copia; nam hæc animalia, nisi ex insidiis impetantur, facile ferociam hujus feræ effugiunt pernitate sua, quapropter quicquid horum



## TIGRIS.



horum venatur Tigris, ex insidiis hoc facit, dum latens inter vepreta, & salicta, in prætereuntes bestias saltu transverso irruit. Quod si aberraverit, semel rugiens recedit, & circumit Sylvæ aliquot spatium, ubi rursus eas bestias præterituras observat: Unguibus præterea prædam semper ferme in cervice ferit, ac unico ictu, quodvis valentissimum, & robustissimum animal, humi prosternit, & exsucto cruore, cujus appetentissima est, cadaver reliquum in Sylvas trahit, ut carne se exfatiet. Itaque Tigris libenter degit, ubi homines scit versari, qui odore non sunt tam acri, quam prædictalia, animatum quod homines pernicitate pedum ipsum effugere non valeant. Ego Tigridem è Felium genere esse dixerim: nam præterquam quod capite, & reliquis membris, Tigridem egregie referant, etiam moribus cum ipsa plane conveniunt: nam Felis quoque (ut notum est) unico saltu Mures & Glires impetit, ac unguibus prius ipsos necat, quam devoret. Hoc clarius patet in Felibus magnis versicoloribus istis, quæ è Persia, & insula Cypros adferuntur, quæ hiatu, & rictu, plane Tigridem referunt. Cæterum frequens est in sylvis conterminis fluminibus præterlabentibus, ut dum aquatum reliquæ feræ eo adveniunt, ipsa ex occulto è sylvis, ac latebris suis exiliens, aliquam earum dilaceret. Tum quoque reliquis animantibus ingens terror Tigridis ingentus est propter ingentem ejus ferociam; unde quoque non male Iavani eam *Radja outang* vocant, quod Regem Sylvæ significat. Denique robur hujus feræ incredibile est: nam occisum à se Bubalum, quamvis tribus partibus ipsa majorem, non secus ac festucam in Sylvas trahit. Ac ut id magis credas, Nobil. D. Generalis Petrus Carpenterius, circa Sylvas insidias, & decipulas Tigribus capiendis, ex solidis trabibus compactas, locari curaverat, quibus intus alligatus Caper, balatu suo Tigridem eo pelliceret: ac forte evenit, ut valvis reclusis, ingens Tigris capta esset, quæ trabes, quamvis ferreis clavis ligatas, unguibus, quibus plurimum valet, à se invicem divulsit, ac ita evasit, incolumi, & intacto, Capro. Iam mirum quiddam de Tigridos, & Rhinocerotis amicitia vobis referam, & deinde desinam. Vbicumque forte Rhinoceros habitat, etiam Tigris istie plerumque stationem habet, & ut plurimum una incedentes videas: sed ego curiosus id inquirens à Iavanis, ab ipsis probabilem hujus rei causam elicui, quod nempe Tigris, utpote carnivora, propter ingluviem pleraque deglutiat, unde cruditates ipsi in Ventriculo oriri necesse est. Rhinoceros autem tantum herbis vescitur; ideoque Tigris eum sectatur, ut stercore ejus pro pharmaco utatur, non secus ac Nepeta seu Mentha Felibus, Canibus Gramen, Cervis Dictamnus, pro remedio est. Nam simulatam inter ipsos esse amicitiam inde collegi, quod Rhinoceros femella, Catulum alens, non patietur Tigridem penes se incedere: Et ego cum forte extra Urbem circa fluminis ripas exspatiatum ivissem, ut amœnissimas plantas, circa fluentia hic crescentes, contem-